



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 9. Regulares possunt-ne, absque Episcopi approbatione, audire  
Confessiones Monialium sui Ordinis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

finem ab Episcopo desiderari, nisi declaret Episcopus, Confessarios omnes approbatos, posse Confessiones etiam Monialium audire; quo casu talem potentiam censetur illis contulisse.

*Quest. 8.* Regulares egent-ne approbatione Episcopi, ad audiendas Confessiones Religiosorum sui Ordinis?

*Resp.* Non videntur tali approbatione indigere; quod probari potest ex Concilio Tridentino his verbis: *Decernit sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis approbationem obtineat.* Ex quibus concludi potest, eos non egere approbatione Episcopi, sed tantum suorum Superiorum ad audiendas Confessiones Religiosorum sui Ordinis.

Conc. Trid.  
sess. 23. cap.  
15. de Re-  
form.

Deinde Clemens Papa X. in Bulla *Superna magni*, ait, *Ceterum in Monasteriis ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prelatos Regulares, quam Confessores, Regularium eorundem Monasteriorum seu Collegiorum, audire Confessiones illorum secularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.*

Quæ quidem verba satis declarant à fortiori, eos sine Episcopi approbatione audire posse Religiosorum suorum Confessiones.

*Quest. 9.* Regulares possunt-ne, absque Episcopi approbatione, audire Confessiones Monialium sui Ordinis?

*Resp.* Certum est, eos non posse; quod quidem satis constat ex Bulla Clementis X. à nobis mox laudata. Tum etiam ex Bulla Gregorii XV. quæ incipit *Insecurabilis*, in qua sic

habetur : Confessores , sive Regulares sive sæculares , quomodolibet exempti tam Ordinarii quàm extraordinarii ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas , nullatenus deputari valeant ; nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei judicentur , & approbationem , qua gratis concedatur , obtineant. Videatur summarium Bullæ Clementis. X. in fine hujus Tomi.

Quæst. 10. Sacerdos generaliter approbatus in una Diœcesi ; potest-ne audire in alia Diœcesi Confessionem illius qui ex ea Diœcesi esset , in qua fuit approbatus ? Et Parochus potest-ne similiter audire Confessionem sui subditi , seu Parochialis , ubicumque eum reperit ?

Resp. Sacerdos sæcularis aut Regularis generaliter approbatus in una Diœcesi , nullius Confessionem audire potest extra illam Diœcesim.

Ita expressè definitum legitur in Bulla Clementis X. sæpè à nobis laudata , in qua dicitur : Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos , non posse in alia Diœcesi , eas absque Episcopi Diocesani approbatione audire , quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi , à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.

Quod quidem conforme videtur Clementinæ , Dudum de sepulturis , ubi hæc leguntur : Magistri , Priores , Provinciales , & Ministri Ordinum Prædicatorum eligere studeant personas sufficienter idoneas , vitâ probatas , discretas , modestas , atque peritas , ad tam salubre Ministerium & Officium exequendum : quas sic ab ipsis electas representent vel faciant presentari Prælatis , & de eorum licentia , gratia , & beneplacito in civitatibus